



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sacrorum tempus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE TUBA. CAP. XVI.

Sed jam altius insonemus, neque semper in molli Lyra aut fistulis immoremur, sed & Tubam strepitu procul ære canoro exauditam, ad Musica instrumenta reliqua adjiciamus.

A. Virgilio Æneid 9.

CELEBRITAS. CAP. XVII.

Significat tuba famam & celebritatem, unde Romani in Saturniæ adis fastigio Tritonas tubicines imponabant, caudis abditis & absconditis: id scilicet eo hieroglyphico significantes, quod historia gestarum rerum ab Saturni commemoratione ad nostram usque ætatem in obliteranda celebritate, nota, clara, & quasi vocalis esset: quæ vero ante Saturnum gesta fuerint, obscura & incognita in tenebris delitescere: idque sibi velle Tritonum caudas ad humum inclinatas, absconditasque. Erant vero Tubæ Marti dicatæ, uti etiam nunc sunt: in acie enim mos est

Tritonum Tubicines quid.

Ære ciere viros, Martemq, accendere cantu.

Æn. lib. 6.

ERIGENDÆ MENTIS SIGNUM.

CAP. XVIII.

In sacris vero literis tuba suum habet intellectum. Nam quæ memoria tubarum celebranda mandatur à Deo prima septimi mensis die, nihil aliud sibi vult, ut interpretantur Theologi, nisi debere nos Prophetarum oracula memoria repetere, Evangelicas voces omnino recogitare, Apostolorum prædicationes celestium tubarum instar, quarum sonus in omnes terræ fines exire destinatum erat, reminisci, & ita initio mensis tuba canamus, & in Psalmis Deo jubilemus.

Num. c. 9. Esai. c. 58. & Ose. c. 8. & psalm. in Psalm.

DE TIBIIS. CAP. XIX.

Sed tibiæ Veneri sacræ ferebantur, eaque de causa in ovatione tibiis & myrto Romanos uti solitos Plutarchus ait in Marcello.

SENSUS. CAP. XX.

Eadem Pani perinde ac etiam fistula, attributæ, quippe quem sensilis mundi rectorem intelligebant: sonus enim non nisi sensu percipitur. Atqui Apollinem etiam ajunt à Pallade doctum libenter tibiis cecinisse: & in altera simulacri ejus, quod Deli erat, manu, tres insidebant Gratia, quarum una Lyram, alia tibiis, tertia fistulam, quæ inter has media erat, gestabat: & dona legas ab Hyperboreis Delum missa, Cithara, tibiis & fistula comitantibus.



Apollinis in Delo simulacrum.

SACRORUM TEMPUS. CAP. XXI.

Tibia sane rei sacræ signum erat, præcationumq; faciendarum tempus indicabat, quasi adesse jam Deum per eam admonerentur, qui sacris assistebant. Nos quoq; cum in sanctis adibus sacra facimus, æris tinnuli sono divini libum mysterii adorandum innuimus. Sed quod ad tibiis spectat, minimè recens, neque imperitæ plebeculæ diciturum est de cessantibus tibicinem expectare, sed antiquum & nobile, quippe quo Scipio minor usus est in Pompejum, qui tibicinis filius credebatur. Pompejus enim C. Lælio Consulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negaverat Scipioni se petiturum, ad futurum vero Lælio, eumque deducturum: quem dum expectarent, auditum est eum jam candidatum prehensare obvios. Tum Scipio ridens: Na, inquit, nos egregiè videri vultis, qui perinde ac Deos, non homines præcaturi sumus, tempus terimus tibicines expectantes. Hinc insam arripuit Cornelius Tacitus, ubi lib. 14. de Octavia Messalinæ filia loquens: An quia, ait, venum progeniem penatibus Cesarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Egyptii sobolem imperatorio fastigio induci? Nempe propter Pompejum, qui, uti dicebamus, Tibicen à Scipione vocatus est. Octavia vero à Scribonia Augusti uxore descendebat.

Quin & qui à cornu Pontificibus aderant, immunes videbantur eos dicitur, Tibicinis vnum videri, ΑΥΛΗΤΗΣ, ΕΙΩΝ ΖΕΙΣ.